

Itaque rem totam concludit.

Θθεν μὲν οὖν ἡ γένεσις ἔνεστι τοῦ ἄλμυροῦ ἐν τῷ ὕδατι εἴρηται.

“Unde ergo generatio inest salsi in aqua, dictum est.”

Et quæ post, scripta sunt non pauca, id ipsum uti censuit probant. Sed nos dicimus, non minus facile, hanc sententiam confutati, quam ipse veterum illam doctrinam refutavit. Inquit enim. Cur fluvii eam terram mistam deferentes in mare, ipsi prius non fiunt salsi? Ita et nos ab eo ragamus. Cur non et imbres, qui eam salsedinem, aut mistionem in mare deferunt, et ipsi non prius salsi fiunt? Hanc objectionem, nec vidit, nec dissolvit ipse. Supetias ei inepte satis it, Iulius Cæsar Scaliger, vir acutus. Imbres aliquando esse salsos. Ut sint, an ii, et pauci, et rari, tantam salsedinem mari, Oceano toto indent? Quis nescit aquam pluvialem omnem, natura esse dulcissimam. Sed esto tota ac omnis salsissima. Quo modo non pluet etiam in fontes? In puteos, in rivulos? Si in hos non fluere dixerit quis, stultitia summa laborat. Si in hos quoque pluit, cur non salsos efficit? Imo omnium salsissimos, quia minus ibi est resistentiæ. Cur etiam fluvii omnes non salsi redduntur? Præsertim si ad fontes pluerit, et diu? Quemadmodum compertum est, ad fontes Nili, quotannis ante incrementum per multos pluere dies, et dum etiam crescit. Cur ergo Nilus non fit salsus? Præsertim cum in Africa tota, ut est calida terra, et sicca, plurima sicca attolli debeat exhalatio. Cur lacus omnes, cur etiam stagna omnia non sunt salsa? Quandoquidem nulla pluviam non sentiunt? An vero dicet, in eos qui salsi non sunt, numquam pluviam decidere? Fatuitas Quidem hæc fuerit, si causam non afferat. Si ergo in omnes aquas, quas Sol aspicit, pluit, cur aqua hæc omnes, ab pluviis non fiunt salsæ? At et qua ratione, pluvia, quæ maiore an in parte nulla est, et quando est, non semper magna, nec semper diuturna sufficiens fuerit tantum Oceanum, tot mediterranea ac tanta maria, salsa efficere? Et fluviolos parvos, rivulos, fonticulos, salsa reddere, non sufficet? Cur non potius, innumera flumina, parva, media, maiora, maxima, continua, perennia, lata, profunda, quæ toto anno se se in mare præcipitant omnia, longe facilius dulcem fecerint Oceanum? Quam pluviam salsum? At non ob ea dulcescit. Multo ergo minus a pluvie amarescet, aut salsescet. Quæ ut experimentis omnibus compertum est, sunt insipidæ, vel eo modo dulces, quo amaræ sint contrariæ. Si tales sunt, ut revera sunt, cur potius, simul cum fluminibus salsedinem maris in dulcorem non immutant? Idque longe minore opera, quam solæ ipsæ, nequaquam salsæ, salsitatem mari indant. Cur ergo Aristoteles uti ridiculam veterum sententiam irridet: ipse tante sapientiæ vir, ridiculosiorem longe proferens? Sed iterum. Suntu omnes pluviam salsæ, amaræque omnes in mare cadant, erunt ne cum tanta Oceani mole comparandæ? Non magis sane quam formica cum elephanto. Ergo si quid amaroris in mare afferunt id in superficie remanebit. Non enim guttæ ultra superficiem meant. At mare, et in superficie, et in medio, et in fundo, totum salsum, totum amarum est. Negat id Scaliger, contrarium asserit, mari nempe in fundo aquas esse dulces, superficiem non dulcem. Quia ut inquit pro comperto ac vero habeatur.

“Idque quia utinatores in vitreis vasculis extulerunt. Quia demissus cantarus cum operculo cattiterinus: idque operculum sublatum funiculo, ac mox impleto vase ori restitutum. Et hoc in locis profundis.”

Cur non potius vir, acutus sane, sed qui pro Aristotele, contra manifestam veritatem etiam peierare libens sustinuerit; dixit id apud Aristotelem quo allegat problemate legisse, quam ullo experimento cognovisse? Neque vero ab eo problemate, quod sperarat habet. Neque enim hæc, quæ ibi verba scripta sunt, quæ ipse vult, volunt.

Διὰ τὴν τῆς θαλασσης, τὰ ἄνω τῶν ἐν τῷ βάθει ἄλμυρωτερα, καὶ θερμότερα.

“Cur maris superiora, iis quæ sunt in profundo salsiora, et calidiora.”

In quibus non affirmat, quæ in fundo sunt, esse dulcia. Sed tantum, minus amara. Neque, ea quæ subdit experimentis puteorum correspondent.

Ομοίως δὲ, καὶ ἐν τοῖς φρέασι τοῖς ποτίμοις τὸ ἐπὶ πολλῆς ἄλμυρώτερον τοῦ εἰς βάθος.

“Similiter vero, et in puteis potabilibus, quod in superficie est, salsius eo quod in fundo.”